



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Opera Mystica V. Ac Mystici Doctoris F. Ioannis A Cruce
Primi Religiosi Discalceati Ordinis B. V. M. De Monte
Carmelo Et Seraphicæ Virginis Theresiæ fidelissimi
coadiutoris**

Juan <de la Cruz>

Coloniæ Agrippinæ, 1639

Capvt X. De quarto detrimento, quod ex supernaturalibus
apprehensionibus distinctis memoria in animam resultare potest, vnionem
videlicet impedire.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37873

præcipitare. Vt autem istud commodius
efficere possit, solet ipse gustum ac suauitatem
sensui circa ipsas metres Diuinas instillare
& infundere, vt anima illo sapore inescata,
delectatione excæcetur, & oculos potius ad
saporem conuertat, quam ad amorem (ad minus
iam non tantum ad amorem) plurisque faciat
apprehensionem, quam nuditatem & vacuitatem,
quæ in fide, spe & Dei amore reperitur; &
hinc pedetentim illam decipit, suas illi
falsitates nullo negotio persuadendo. An-
imæ quippe obæcæta falsitas, iam non videtur
falsitas, & malum non videtur malum: tenebræ
enim lux illi videntur, & lux tenebræ, & inde
in mille stultitias ruit, & quod vinum fuerat,
tam in naturalibus quam etiam in moralibus,
& spiritualibus iam in acetum versum est.
Quæ omnia idcirco eueniunt illi, quia ab initio
non abegit illarum supernaturalium rerum
delectationem, à qua, quia à principio est
exigua, vel non adeò nociua, non magnopere
sibi cauet Anima, permittitque illam hæ-
rere, & veluti granum sinapis in arborem
grandem excrescere. Paruus enim error (vt
vulgo dicunt) in principio, magnus est in fine.

Quamobrem ad damnum istud, quod
Demon inferre potest euitandum, sum-
mopere expedit animæ, nolle huiusmodi
rebus oblectari: quia certissimum est sensum
talis gustu excæcabitur, & cadet: siquidem
gustus delectatio, & suauitas natura sua
inertem rudemque faciunt animam, il-
lamque exoculant, sicuti hoc significauit
David quando dixit, *Forſitan tenebræ con-*
culcabunt me, & nox illuminatio mea in delitijs
meis: ac si patentius dixisset, forſitan in
delitijs meis tenebræ obæcæcabit me, & noctem
pro luce habebo.

CAPVT X.

De quarto detrimento, quod ex supernaturalibus apprehensionibus distinctis memoria in animam resultare potest, vnionem videlicet impedire.

DE quarto isto detrimento pauca hoc
loco dicenda occurrunt, eò quod multa de eo passim hoc libro dicta sunt, in
quo demonstrauimus, qualiter ad hoc vt
anima Deo in spe vniamur, omni possessioni
memoriæ nūcium remittere debeat: vt
enim spes perfecte integreque feratur in
Deum, nihil in memoria superesse debet
quod non sit Deus, cum autem (sicut etiã
diximus) nulla forma, figura, aut imago
siue naturalis siue supernaturalis, quæ in
memoriam cadere possit. Deus sit, nec illi
similis secundum quod docuit David
dicens: *Non est similis tui in Dijs Domine:* hinc
euenit, quod si memoria aliquid horum
arripere & attrahere sibi voluerit, obstaculum
Deo ponat. Primo, quia se implicat: secundo,
quia quo plus possessionis habet, eo minus
perfectionis spei sortitur. Necessarium
ergo est animam denudatam, formarumque
& noticiarum distinctarum supernaturalium
rerum oblitam remanere, ne vnioni, cum
Deo secundum memoriam in spe perfecta, obicem
ponat.

Psal. 85. 9.

CAPVT XI.

De quinto damno, quod anima per formas & apprehensiones imaginarias supernaturales incurrere potest, quod est abiecte ac improprie de Deo sentire & iudicare.

NON minus perniciosum animæ est
quintum damnum quod in illam red-
dundat ex eo, quod velit in memoria ima-
ginariæ:

R. 3.

B.

Iohannis
CruceOpera
Mystica

NVI

124